



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

De corruptione liberi arbitrii p. peccatum. H

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

Tunc sine errore ratio iudicare, & voluntas sine difficultate bonum appetere poterat, post peccatum vero ante reparationem gratiæ, præmitur à concupiscentia & vincitur, & habet infirmitatē in malo, sed non habet gratiam in bono: & ideo potest peccare, & non potest nō peccare, etiam damnabiliter: post reparationem verò, ante confirmationem præmitur à concupiscentia, sed non vincitur: & habet quidem infirmitatem in malo, sed gratiam in bono: vt possit peccare propter libertatem & infirmitatem: & possit non peccare ad mortem propter libertatem, & gratiam adiuuātem, nondum tamē habet posse omnino non peccare, vel non posse peccare, propter infirmitatem nondum perfectē absorptam, & propter gratiam nondum plenē consummatam: post confirmationem vero infirmitate penitus consumpta, & gratia consummata, nec vinci poterit, nec premi, & tunc habebit non posse peccare.

De corruptione liberi arbitrii per peccatum. H

Vnde manifestum est, quod præter alias pœnalitates pro peccato illo, incurrit homo pœnam in corruptione & depressione liberi arbitrii. Per illud nanque peccatum naturalia bona in ipso ho-
Lu. 4. 10
 mine corrupta sunt, & gratuita detracta. Hic est enim ille qui à latronibus vulneratus est & spoliatus. Vulneratus quidē in naturalibus bonis, quibus non est priuat⁹, alioquin nō posset fieri reparatio: Spoliatus verò gratuitis, quæ per gratiam naturalibus addita fuerant. Hæc sunt data optima, & dona perfecta, quorū alia sunt corrupta per peccatū, id est, naturalia, vt ingeniū, memoria, intellectus: alia subtracta, i gratuita, quanquam & naturalia ex gratia sint. Ad generalē Dei quippe gratiam pertinent. Sepe tamē huiusmodi fit distinctio, cum gratiæ vocabulum ad speciem, nō ad genus refertur. Corrupta est ergo libertas arbitrii per peccatū, &

Cap 30. ad
princip.

1. Pet. 2. d.

ex parte perdita. vnde August. in Ench. Libero arbitrio male vnus homo, & se perdidit & ipsum. Cum enim libero arbitrio peccaretur, victore peccato amissum est & liberum arbitrium. A quo enim quis deuictus est, huic seruus additus est. Ecce liberum arbitrium dicit hominem amisisse: nō quia post peccatum non habuerit liberum arbitrium, sed quia libertatem arbitrii perdidit: non quidē omnē, sed libertatem à miseria & à peccato.

De tribus modis libertatis arbitrii.

Est nanque libertas triplex, scilicet à necessitate, à peccato, à miseria. A necessitate, & ante peccatum, & post & que liberum est arbitrium. Sicut enim tunc cogi non poterat, ita nec modo. Ideo quæ voluntas merito apud Deum iudicatur, quæ semper à necessitate libera est, & nunquam cogi potest. Vbi necessitas, ibi non est libertas: vbi non est libertas, nec voluntas, & ideo nec meritum. Hęc libertas in omnibus est, tam in malis quam in bonis. Est & alia libertas, à peccato, scil. de qua dicit Apostolus, Vbi spiritus domini, ibi libertas. Et veritas in Evangelio, Si filius vos liberauerit, vere liberi eritis. Hęc libertas à seruitute peccati liberat, & seruos iustitiæ facit: sicut e conuerso seruitus peccati liberos iustitiæ facit. Vnde Apostolus. Liberati à peccato, serui facti estis iustitiæ. Et itē: Cū serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ. Hanc libertatem peccando homo amisit. Ideo quæ Aug dicit, quod homo male vrens libero arbitrio, & se perdidit, & ipsum: quia perdita est per peccatum libertas non à necessitate, sed à peccato. Qui enim facit peccatum, seruus est peccati.

Qui habet libertatem, scilicet, à peccato, & per quid.

Hanc libertatem quæ est à peccato, illi soli nūc habent, quos filius per gratiam liberat & reparat: nō ita quod penitus sint sine peccato in hac mortali carne, sed vt in eis peccatū nō domineretur neque regnet.

*De libertate
à peccato.*

2. Cor. 3. d.

Ioan. 8. c.

Rom. 6. d.

In ench. ca.

30. ad princ.

Augustin.

Ioan. 8. d.